

to c. *Accedentibus*, et Joann. And., Hostiens., Abb., Felinus et alii communiter docent requiri tempus quadraginta annorum, et ad c. *Si de terra* nihil aliud respondent nisi hodie non procedere. Mihi autem verisimile est Alexand. III, licet in aliis præscriptionibus contra Ecclesiam quadraginta annorum tempus necessarium esse voluerit, in hac quæ est contraria privilegio, minori tempore fuisse contentum, vel quia non consideravit illam ut puram præscriptionem, sed ut conjunctam voluntariæ renuntiationi privilegii, quæ facilitare videtur præscriptionem, vel etiam quia per præscriptionem contra privilegium revertitur res ad jus commune, et ideo etiam debet breviori tempore fieri. Nihilominus tamen Innocent. III, in dicto cap. *Accedentibus*, extendisse videtur regulam c. *Illud*, de Præscription., etiam ad præscriptionem contra privilegia Ecclesiarum. Et hoc usu confirmatum est et communi sententia doctorum.

22. *Infertur primo.* — Tandem, ex dictis in hoc et præcedenti puncto tria infero. Primo, amissionem privilegii per contrarium usum non habere locum in illis privilegiis quæ supra absoluta appellavimus, quatenus non versantur circa alios nec tertiam personam gravant. Ratio est, quia contra hæc privilegia non præscribitur ab aliis, cum alios non respiciant, nec per contrarium usum aliis conferatur aliquod jus. Exemplis patet, quia si quis habens privilegium non recitandi, per multum tempus recitet, non amittit omnino privilegium, quia nullus contra eum præscribit, et sic de omnibus similibus. Ac denique rationes factæ de non usu, quoad hoc, eodem modo procedunt de contrario usu.

23. *Infertur secundo.* — Secundo, infero ex dictis amissionem privilegii per contrarium usum in multis convenire cum illa quæ est per solum non usum, videlicet, quia in neutra earum sufficit sola præsumpta renuntiatione, ut vere et in re destruat privilegium, quia in utraque debet adungi præscriptio. In qua præscriptione etiam conveniunt quoad temporis longitudinem, et ita in hoc indifferenter de utraque loquuntur auctores; in duobus tamen differunt, primo, quia privilegium ad agendum per unam omissionem, ut sic dicam, vel per plures, seu per solum non usum, nec perditur nec minuitur, sed tantum non exercetur, ut ex supra dictis constat: privilegium autem ad non agendum per unam contraventionem quodammodo amittitur per renuntiationem operantis, quantum ad hoc,

ut solutio, vel alia similis actio facta contra privilegium teneat: nam in hoc aliquo modo derogatur privilegio. Quod habet locum in privilegiis quæ versantur circa alios; nam in absolutis hæc differentia considerabilis non est, sed contrarius usus moraliter perinde se habet ac non usus. Secundo, differunt quia contra privilegia affirmativa præscribi potest sine ulla actione privilegiarii, quia per solum non usum ejus potest inchoari et consummari alterius præscriptio: in negativis autem ut præscribatur contra illa, necessarium est ut inchoetur præscriptio ab aliquo usu contrario privilegiarii, quia sine tali actu nullum jus, nullusve possessionis modus potest in altero considerari, quod illi tribuat initium præscribendi, quæ omnia ex dictis satis constant.

24. *Tertio infertur.* — Tertio, intelligitur ex dictis quam utilitatem habeat protestatio privilegiarii, ut actus intelligatur fieri sine præjudicio sui privilegii, de qua dixit Bart. in leg. 1, c. de His qui spont. mun. etc., l. 10, parari, ut per actum contrarium non perdat privilegium, quod valde commendat Panormitan. in dicto c. *Cum accessissent*, n. 7, intelligens, prodesse ut privilegium non perdat per unum contrarium actum, et ad hoc esse necessariam talem protestationem; et hoc modo idem intellexit et secutus est Felin. ibi, n. 30, limit. 5; citatque Roman. et Bald. in eandem sententiam. At vero juxta doctrinam datam, talis protestatio necessaria non est ut privilegium non perdat simpliciter per unum actum contrarium: nam licet non fiat protestatio, unus actus contrarius non sufficit per se tollere privilegium; quoad forum vero externum poterit esse utilis talis protestatio ut magis constet de animo operantis. Præter hoc vero esse poterit utilis hæc protestatio ex justa causa facta, ut ipsemet actus qui in præsentem fit, non noceat in aliquo contra privilegium, etiam secundum præsentem effectum quem habere posset; ut, si per talem protestationem profiteatur operans, vel non voluntarie sed coacte operari talem actum, vel certe ignorare an aliquid detrimenti contra suum privilegium sibi afferre possit, et ideo non esse intentionis suæ cum suo præjudicio illum facere. Nam cum actus agentium non operentur ultra intentionem et renuntiationem privilegii etiam secundum quid et quoad præsentem effectum a voluntate privilegiarii pendeat, per talem protestationem merito impediatur talis effectus. Denique etiam potest prodesse ut a tali actu non possit

inchoari præscriptio contra privilegium, quia per illam fit ut nullum jus tribuatur alteri, nec aliquis modus possessionis, et consequenter etiam bona fides illius impeditur. Et in hoc sensu verum est protestationem illam deservire ne amittatur privilegium, non utique per unum solum actum integre, sed ne per illum inchoetur præscriptio, et consequenter ne consummari possit, præcedente tantum illo contrario usu. Quando autem talis protestatio nihil prosit, videri potest in Gloss. in c. *Cum*, M. de Const., verb. *Sine præjudicio*.

25. *Dubium ultimum.* — *Responsio.* — *Regula juristarum.* — *Quomodo sententia valet inducere obligationem in conscientia.* — Ultimo, videndum superest an hæc quæ dicta sunt de amissione privilegii per usum contrarium locum habeant in foro conscientiæ, vel solum in exteriori, ex juris præsumptione. In quo breviter duo sunt clara ex dictis in præcedenti capite. Unum est, quoties usus contrarius privilegio dat alteri occasionem et tempus præscribendi contra privilegium, consummata præscriptione, amitti privilegium in re ipsa, ac subinde etiam in conscientia. Secundum est, quamdiu alter non præscribit contra privilegium habens tractum successivum, per nullum usum contrarium amitti in conscientia tale privilegium omnino et quoad facultatem utendi illo in temporibus futuris. Hæc duo non indigent nova probatione; solum ergo superest difficultas de illa amissione privilegii quæ fieri censetur per quemlibet actum contrarium per modum tacitæ renuntiationis, vel simpliciter, si privilegium in uno tantum actu consistat, vel secundum quid tantum quoad præsentem actum et effectum ejus. In quo breviter dico, regulariter loquendo, talem renuntiationem esse validam in conscientia: suppono enim versari circa alterum qui statim acceptat illam, vel effectum qui ab illa pendet, quod perinde est: nam de aliis privilegiis absolutis jam non tractamus. Deinde, licet hæc renuntiatione non sit expressa, sed tacita, quatenus per actum contrarium privilegio indicatur voluntas renuntiandi privilegio saltem pro illo actu, nihilominus, moraliter loquendo ac per se, procedit ex interno affectu sufficiente, quia ille actus exterior voluntate fit, et ex animo valide et cum effectu operandi, etiamsi sit contra proprium privilegium. Ut in casu cap. *Cum accessissent*, si canonici illi contra prius statutum a se factum dignitatem Primicerii in sua Ecclesia creassent, vere et non tantum præsumptive privi-

legium amitterent, quia talis actus et effectus necessario secum affert revocationem prioris statuti; et similiter qui acceptat munus cum esset exemptus, in conscientia tenetur illud administrare, et sic de aliis. Secus vero esset si aliquis involuntarie exerceret actum, vel coactus et positive interius intendens sibi in nullo præjudicare, vel ignorans effectum illum repugnare suo privilegio; tunc enim excusaretur in conscientia propter defectum consensus, sine quo obligari non potest. Unde etiam juristæ docent quotiescumque ex signis vel conjecturis constare potest privilegiatum non habuisse animum renuntiandi, non esse privandum privilegio. Ita Gloss. in cap. *Pro illorum*, verb. *Auctoritate*, de Præb., quam Bart., locis citatis, et alii doctores allegati sequuntur. At vero si tunc privilegiarius juste condemnaretur in foro exteriori, quia non posset intentionem suam probare, tunc etiam in foro exteriori teneretur parere, licet posset occulte se indemnem servare, si absque scandalo possit. Aliquando vero posset per sententiam veluti confirmari talis renuntiatione privilegii, etiamsi non esset ex animo facta, in poenam fictionis vel negligentiae, et tunc post sententiam teneretur quis in conscientia non uti privilegio quoad talem effectum, seu ratum habere usum privilegio contrarium, etiamsi fortasse antea non teneretur, quia sententia justa potest effectum hunc inducere, ut in superioribus visum est.

CAPUT XXXVI.

QUANDO ET QUOMODO AMITTATUR PRIVILEGIUM PER ILLIUS ABUSUM.

1. *De abusu privilegii.* — *Privilegium amittitur per abusum.* — *Tria explicanda.* — Vulgaris est regula juris amitti privilegium per abusum. Unde est illa sententia Simplicii Papæ: *Privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate*, c. *Ubi*, dist. 74, cap. *Privilegium*, 11, q. 3; qua etiam utitur Innocentius III in cap. *Licet*, de Regularibus, et in cap. *Ut privilegia*, de Privil., et in cap. *Contingit*, 2, de Sententia excomm.; idemque fere habet in cap. 1 et 7 de Postulat. præbend.; et Alexand. III in cap. *Recolentes*, de Statu Mon., ubi Glossa, verb. *Communi jure*. Hanc vero regulam ita exponit Sylvest., verb. *Privilegium*, q. 10, dub. 10, ut idem dictu sit, *per abusum*, quod *per non usum*, vel *contrarium usum*; sed contra vim verborum, et con-

tra jurium intentionem, et contra veritatem: nam revera hic est distinctus modus amittendi privilegium. Igitur, ad explicandam hanc regulam ejusque rationem reddendam, tria breviter explicanda sunt. Primum, de quo abusu privilegii sit sermo ut censeatur sufficiens ad privilegium amittendum. Secundum, qualis et quanta sit hæc amissio, scilicet, aut totius privilegii, vel tantum alicujus, vel aliorum effectuum ejus. Tertium, quomodo amittatur, id est, an ipso facto per abusum perdat privilegium, vel solum veniat quis illo privandus.

2. *Circa primum notandum.* — *Regula juristarum.* — Circa primum, advertere oportet aliud esse privilegium perdi propter delictum, aliud vero propter abusum: nam abusus proprie significat defectum in ipsomet usu privilegii, vel in his quæ illud concernunt, ut ex vi ipsius vocis constat: delictum autem latius patet, et comprehendere potest quodcumque peccatum ipsius privilegiarii. In præsentem ergo proprie tractamus de abusu; nam quodammodo per se confert ad amissionem privilegii, vel tollendo ejus fundamentum, vel secundum quamdam proportionem pœnæ ad culpam, quia in his aliquis punitur in quibus deliquit. Propter alia vero delicta quæ non continent abusum privilegii, puniri quidem potest aliquis in privilegio pro arbitrio legis, seu principis, sicut potest puniri in aliis bonis; tamen id extraneum et accidentarium est, et ideo in præsentem non consideratur; sed dicere tantum possumus posse interdum privilegium propter delictum amitti, si lege statuatur, quæ spectanda erit, ut ex verbis ejus qualitas delicti quod requirit, et modus inferendi talem pœnam colligatur. Unde solet esse frequens regula juristarum, privilegium non amitti propter delictum, nisi in casibus in jure expressis, ut videre licet in Socino, regula 380, alias regula 31. Videri etiam potest Bernardus Diaz, regula 592; exemplum esse potest, quia clericus exercens sodomiam privatur in pœnam privilegio clericali per Bullam Pii V; et ordinatus in minoribus Sede vacante, cum dimissoriis illegitime datis a Capitulo, privatur privilegio clericali in Concilio Tridentino, sessione sexta, capite decimo, de Reformatione.

3. *Abusus privilegii multiplex.* — *Abusus per excessum.* — *Abusus occasionalis.* — *Tertius abusus.* — Abusus autem privilegii multiplex subdistingui potest: unus est quasi formalis in ipsomet actu privilegii, in quo privi-

legium usurpatur tanquam principium abusus, exercendo illum plus quam privilegium concedat; semper enim hic abusus est per excessum: nam si defectus sit in minori usu, vel in non usu, vel in contrario usu, non potest dici abusus privilegii, quia vel nullus est usus prætextu privilegii, vel non est usus peccaminosus, qui proprie dicitur abusus. Verum est tamen quod, ubi quis obligatur privilegio uti, si id non faciat quantum potest et debet, dici potest privilegio abuti, tamen ille abusus magis pertinet ad non usum vel contrarium usum, de quibus satis dictum est. Abusus ergo de quo agimus per excessum proprie committitur; hic autem excessus utendi privilegio amplius quam ipsum concedat, per omnes fere circumstantias humanorum actuum variari potest, scilicet, utendo privilegio in tempore aut loco, aut circa materiam vel personam non concessam, ac denique huc spectat omnis injusta seu irrationalis extensio privilegii. Alius abusus dici potest occasionalis, in quo privilegium, scilicet, se habet per modum objecti per occasionem moventis, ut cum quis ex privilegio sumit occasionem delinquendi, ut cum exemptus inde sumit licentiam peccandi vel inferendi alteri injuriam, non quia faciat illam prætextu privilegii (hoc enim pertinet ad priorem modum), sed quia spe impunitiois ex privilegio concepta liberius delinquit, vel certe quia quocumque alio modo ex privilegio sumit peccandi occasionem. Tertio item modo dicitur quis abuti privilegio, quando suis pravis moribus directe repugnat fini privilegii, seu destruit fundamentum ejus; sic beneficiatus privilegiatus ut sit absens propter studium, dicitur abuti privilegio quando, neglecto studio, aliis inutilibus actionibus occupatur. Et ad hæc tria membra videntur posse reduci omnes privilegiorum abusus.

4. *Regula proposita generalis.* — Dicendum ergo est regulam positam generaliter esse intelligendam de quocumque abusu privilegii; tum quia ita communiter videtur a doctoribus intelligi; tum etiam quia verba juris sunt absoluta, et non debent a nobis limitari, cum omnes illi excessus sint proprie abusus privilegii, et in illius injuriam vel concedentis cedant; tum maxime quia de omnibus illis modis possunt in jure exempla inveniri: nam capita in regula allegata potissime loquuntur de primo abusu per excessum, utendo potestate ultra limites ejus, ut est uti potestate ordinandi cogendo subditum

ut ordinetur, de quo est sermo in d. cap. *Ubi*; et similis abusus est negare licentiam transeundi ad religionem strictiorem legitime illam postulanti, de quo est sermo in dicto cap. *Licot*; et similis est quælibet indiscreta extensio privilegii, de qua loquuntur cap. 4 et 2 de Postul. prælat., et latius dictum cap. *Ut privilegia*. Et huc spectat decisio cap. *Suggestum*, de Decim., ubi propter rerum mutationem censetur moderandum privilegium, ne usus, qui antea licebat, propter scandalum transeat in abusum. Et ad idem juvat lex *Qui sine*, ff. de Negot. gest., et optime lex 42, t. 18, part. 3, ubi Gregor. Lop., Gloss. ult., varia exempla ponit eorum qui, prætextu privilegiorum, aliqua faciunt vel ultra privilegium, vel etiam contra illud; et alia jura adducit. At vero cap. *Contingit* aperte loquitur de abusu occasionali qui committitur quando occasione privilegii sumitur licentia peccandi, et evadendi justas penas, et de eodem fere abusu loquitur cap. ult. de Vit. et Honest. cler., ubi clericus negotiator privatur immunitate a tributis sub certis conditionibus. Et ad idem reducitur dispositio cap. ultim. de Immunit. Eccles., ubi delinquens in Ecclesia, Ecclesiæ immunitate privatur; consonat l. *Judeos*, cod. de *Judeis*. Denique in cap. *Recolentes* sermo esse videtur de abusu contra finem et fundamentum privilegii. Et ad idem caput revocantur canones qui clericos conjugatos laice videntes privant privilegio clericali, ut cap. *Ex parte*, de Cleric. conjug., et cap. *Uni*, eod. in 6, et Triden., sess. 23, cap. 6 de Reformat. et concordat., l. *Libera*, ff. de Pecul., et lex *Christianis*, cod. de Pagan. Ratio vero omnium est, quia quilibet ex dictis abusus culpabilis est et privilegio injuriosus, et ideo privatio privilegii merito illi correspondet, vel in pœnam proportionatam, vel alio simili modo in sequentibus explicando; neque in hoc puncto alia difficultas occurrit.

5. *Circa secundum dubium.* — Circa secundum, quæ scilicet amissio privilegii incuratur per abusum ejus, adverto, cum proportione adhibita in præcedenti capite, duplicem esse posse privilegii amissionem, alteram radicalem, ut sic dicam, ut quando ipsum jus utendi etiam in futurum amittitur, sive privilegium in tota sua materia amittatur, sive in aliqua parte illius, utramque enim amissionem nunc voco radicalem, seu amissionem simpliciter; alio modo intelligi potest amitti privilegium solum in præsentem, nimiram

quoad actum illum qui fit cum abusu privilegii, quia, scilicet, ratione abusus perdit valorem vel qualitatem quam ex influxu privilegii seu potestatis habiturus esset si esset legitimus.

6. *Responsio.* — Dico ergo breviter aliquando amitti privilegium priori modo, scilicet, quoad jus ipsum et omnem futurum usum privilegii, interdum adæquate et in tota materia, interdum vero inadæquate, seu in parte materiæ; aliquando vero amitti tantum quoad præsentaneum effectum. Prior pars sumitur ex dicto cap. *Privilegium*, 11, q. 3, ubi adverte addi in regula posita particulam *omnino*, scilicet, *privilegium omnino meretur*, etc., quæ non ponitur in cap. *Ubi*, cum tamen capita illa unum esse, vel ex eodem originali sumpta esse censeantur: nec etiam in aliquo ex allegatis capitibus invenio illam particulam *omnino*; et ideo incertum mihi est, an sit addita a Gratiano, vel casu irrepsit in textum ex aliqua interpretatione seu scholio. Illa tamen admissa, recte per illam declaratur aliquando propter abusum privilegii mereri quempiam radicalem et totalem amissionem privilegii. Quod etiam significavit Augustinus, serm. 247, de Temp.: *Judicio legum jure obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio sibi concessio abutitur*. Dum enim dixit *dejici ab obtenta dignitate*, satis demonstrat integram et absolutam privilegii privationem. Quod autem non semper hæc privatio sit integra, satis ostenditur in eodem cap. *Ubi*, et in cap. *Denuntiamus*, 25, quæst. 2, ubi propter abusum privilegii fit comminatio sub disjunctione: *Ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiæ, vel Emiliensis noveris auferendas*. Sæpe etiam propter abusum, verbi gratia, in privilegio eligendi, privatur quis potestate eligendi in futurum, non simpliciter, sed pro aliquo tempore, vel aliqua vice, ut in cap. *Cum in cunctis*, § ult., et cap. *Cum Wintoniensis*, de Elect., et in cap. 4 et 2 de Postulat. Prælat. Et ratio est clara, quia non semper excessus est dignus æquali pœna. Unde etiam fieri potest ut tantum privetur quis privilegio in illo actu in quo illo abutitur, quoad hoc, scilicet, ut talis actus non valeat vel ut cassari debeat non obstante privilegio. Quod probari potest facile ex supra dictis de lege irritante: nam irritatio actus sæpe est pœna illiusmet abusus qui in illo actu committitur; ita ergo esse potest in præsentem. Sicut etiam propter abusum ordinantis interdum suspenditur ordinatus, cap. *Vel non est compos*, de

Tempor. ordin. Et sic dicitur irrita ordinatio ordinantis alienam indebite, c. 1, 71 d., et similiter in c. *Decernimus*, 16, quæst. 7. Et ratio est, quia vel hæc potest aliquando videri sufficiens pœna, vel cum illa possunt aliæ adjungi, absque majori privilegii privatione.

7. *Circa tertium dubium.* — *Amissio privilegii duplex: Ex natura rei vel juris dispositione.* — Circa tertium punctum, de modo quo privilegium perditur, advertendum est dupliciter posse intelligi hanc amissionem; uno modo ex natura rei, alio modo ex juris positivi dispositione. Prior modus potest habere locum in cessatione privilegii quoad valorem actus qui per abusum fit sub umbra seu colore privilegii. Quod tunc potest contingere quando quis utitur privilegio ultra vires ejus, vel extra materiam vel casum in quo ipsum loquitur, vel quando actus non fit secundum formam in privilegio præscriptam; tunc enim actus fit sine legitima potestate, et consequenter est nullus, vel simpliciter, vel quoad id in quo excedit potestatem. Et hoc significavit Sylvester verb. *Privilegium*, q. 10, dict. 3 argumento, cap. *Porro*, et cap. *Recipimus*, de Privilegiis. Si quis autem recte consideret, hæc non est amissio privilegii quando talis defectus ex natura rei contingit, quia potius hic defectus sequitur ex carentia privilegii quoad talem casum, quam sit causa illius. Potest etiam habere locum iste primus modus amittendi privilegium ex natura rei, si per abusum tollatur fundamentum privilegii, ut in illo exemplo de beneficiato habente privilegium ut in absentia causa studii faciat fructus suos; nam si nihil studeat, revera non faciet fructus suos, ut satis probabiliter dixit Perez, lib. 1 Ordin. regul., tit. 2, lib. 8; quia servitium Ecclesiæ commutatum est in studium, et ita fructus dantur ratione studii; ideoque qui abest titulo studii et non studet, ita abutitur privilegio ut fundamentum privilegii auferat, et contra intentionem concedentis faciat, et acceptionem stipendii sine labore seu servitio injustam reddat, ac proinde ipso facto et ex natura rei privatur fructu privilegii. Et similis decisio vel potius declaratio, in simili casu, sumitur ex lege *Generaliter*, cod. de Episcop. et Cleric., et c. *Generaliter*, 16, quæst. 1. Idemque erit quoties ex privilegio constiterit privilegium omnino concedi propter talem actionem. Tunc autem in similibus casibus (quod notandum est) non amittitur privilegium in radice, vel pro tempore futuro, si abusus ejus tollatur,

quia hoc ex natura rei non sequitur, ut per se constat, nec in jure statutum est, ut supponimus. Aliquando vero potest per abusum fieri ut cesset omnino causa privilegii adæquata illi secundum se et simpliciter spectato, et tunc cessabit etiam privilegium, non formaliter ratione abusus, nam idem esset si absque abusu causa cessasset, sed immediate propter cessationem causæ, et ideo tunc servandæ sunt regulæ supra datæ de modo desinendi privilegii causa cessante.

8. *Secundus modus de juris dispositione, qui frequentior est.* — *Quid sit abjicere ipso facto, quid privari ipso facto.* — *Quando sit necessaria sententia judicis.* — Alter modus perdendi privilegium propter abusum est ex juris dispositione, et hic est frequentior, et insinuatur in verbis ipsis regulæ propositæ: *Privilegium meretur amittere qui*, etc. Nam, licet meritum hoc ex natura rei insit tali abusui, nihilominus ipsa amissio non intrinsece sequitur, nisi ab alio inferatur. Est enim quædam pœna illius mali meriti, et ideo dicimus fieri ex juris dispositione sub quo includimus et sententiam judicis vel actionem superioris quæ secundum jus esse debet, et dispositionem ipsiusmet privilegii in quo interdum additur clausula, ut propter talem vel talem abusum perdat. Atque hinc fit, cum hæc amissio sit pœnalis, attendenda esse verba legis vel rescripti, ad judicandum an per talem abusum amittatur ipso facto privilegium, vel solum veniat quis privilegio privandus, vel omnino, vel ex parte. Nam si verba non contineant satis expresse sententiam ipso jure latam, non amittitur ipso facto, juxta regulam legis pœnalis et legis irritantis; et si citata verba regulæ præcise spectentur, effectus hic non sequitur ipso facto, quia solum dicit: *Meretur amittere*; at qui meretur, non statim habet quod meretur. Idemque erit etiamsi lex dicat, *privetur*, vel *careat privilegio*, et a fortiori si dicat propter abusum posse auferri aut revocari, ut in c. 1 de Postulat. Prælat., et in cap. *Ut privilegia*, de Privileg. At si dixerit, *Noverint se privatos*, ipso facto incurretur, ut cap. *Cum in cunctis*, § ultim. de Election., et idem significatur in cap. 2 de Postulat. Prælat. Et hoc modo ait Glossa, in cap. ultim. de Vita et honestate cleric., verb. *Cum facto*, ibi amitti privilegium ipso facto. Quod licet in se verum sit, ut dixi, non recte ex illo textu colligitur, in quo dicitur: *Cum facto privilegium abjiciant clericale*: nam aliud est abjicere facto, aliud amittere ipso facto; qui enim per pravum

usum meretur privari privilegio, dici potest suo facto abjicere privilegium, etiamsi non privetur illo ipso facto. Quamvis dici possit in casu illius textus privilegium amitti, non tantum per modum pœnæ, sed quia per illum abusum quo clericus se immiscet negotiationibus secularibus, tollitur fundamentum privilegii exemptionis a solvendis aliquibus tributis. Et in hoc sensu dixit Glossa in cap. *Recolentes*, de statu Monachorum, verb. *Communijure*, in eo casu sic abutentem privilegio tacite renuntiare illi. Idemque in simili dixit Anch., cons. 104, quem refert et sequitur Felin. in cap. *Cum accessissent*, de Constitut., n. 28. Nihilominus, in his et similibus casibus, censeo ordinarie necessariam esse sententiam saltem declaratoriam criminis, quando privatio fuerit pœnalis, juxta doctrinam datam de lege pœnali. In aliis vero casibus, quando abusus tollit fundamentum privilegii, si res sit certa et clara, non erit necessaria alia declaratio; tamen in casu dubio poterit expectari.

CAPUT XXXVII.

AN PRIVILEGIUM SEMEL CONCESSUM REVOCARI POSSIT A CONCEDENTE, VEL AB ALIQUO ALIO.

1. *Revocatio, seu abrogatio privilegii.* — Hic est ultimus modus perdendi privilegium, quem diximus proprie esse per actionem extrinsece agentis, a quo est revocatio seu abrogatio privilegii, in quo ipso post specialem difficultatem prius necesse est de potestate dicere, et postea dicemus de actu. Est ergo peculiare dubium an possit privilegium revocari; et ratio dubitandi est, quia si posset, maxime a concedente; sed ab illo non potest; ergo. Probo minorem, quia donatio semel facta non potest revocari a donante; sed privilegii concessio est quædam donatio: ergo revocari non potest. In contrarium vero est consuetudo recepta, videmus enim quotidie revocari privilegia per leges pontificias, conciliares et regias.

2. *Distinctio præmittenda.* — *Prima assertio.* — *Privilegium concessum et acceptatum a non subdito irrevocabile.* — In hoc puncto, imprimis distinguunt doctores inter privilegia concessa non subdito, vel concessa subdito, et de illis duas assertiones constituunt. Prima est: privilegium concessum non subdito et ab eo acceptatum irrevocabile est a conce-

dente. Ita docent communiter juris canonici interpretes in cap. *Novit*, de Judic.; Innoc., verb. *Theodosius*; Panorm., n. 23 et sequentibus, ubi alios refert Decius, n. 14; et Felin., n. 8 ac 10. Idem in cap. 1 de Constit., n. 19, verb. *Alius casus est quando lex*, etc., in cap. 1 de Probat., n. 2, plurimâ referendo. Idem Hostiensis in Summa, tit. de Immunit. Eccles., § *Sed nec ille*; Alvar. Pelag., de planct. Ecclesiæ, lib. 1, cap. 44, circa finem; Dried., lib. 1 de Libert. christiana, cap. 9; Matienz., lib. 5 Recopilat., tit. 10, l. 7, Glossa 1, n. 4; et plures refert Anton. Gabr., lib. 3, tit. de Jur. quæsit. non tollendo, concl. 6, n. 20. Ratio autem communis est, quia privilegium concessum non subdito et ab eo acceptatum transit in contractum; ergo non potest revocari. Probatur consequentia, quia nullus princeps habet jus privandi non subditum rebus suis, et legitime acquisitis, undecumque ad illum pervenerint; et ideo licet aliquis illas receperit a principe non suo, postea perinde manet in illis non subditus, ac si aliunde illas obtinisset; et hæc ratio probat non solum de principe respectu superioris, ut est rex respectu Papæ, nec solum respectu æqualis, ut est rex respectu alterius regis, vel cujuscumque non recognoscentis superiorem in temporalibus (nam in hoc solum consideratur æqualitas), sed etiam de supremo principe respectu alterius sibi non subditi, etiamsi alium superiorem habeat in temporalibus: nam hoc accidentarium est, et impertinens ad prædictam rationem, ob quam tale privilegium irrevocabile est.

3. *In quo sensu sit revocabile.* — Dices hoc ad summum procedere de ipsomet concedente, non vero de successoribus ejus, quia ipsi non contraxerunt, nec tenentur servare pacta suorum prædecessorum. Respondeo imo maxime teneri ad servanda pacta et conventiones justas; tum quia post pactum consummatum jus est simpliciter acquisitum ei cui privilegium concessum est, et ita æque procedit ratio facta in successore, ac in ipso concedente; tum quia neque successor potest privare non subditum jure suo; tum etiam quia alias nulla pacta cum principibus supremis esse possent firma et perpetua, quod est contra jus gentium et contra rectam gubernationem et pacem generis humani. Quæ ratio non minus procedit in alienatione jurisdictionis per privilegium datum non subdito quam in aliis materiis, etiamsi Felinus et alii circa jurisdictionem hoc limitent. Est tamen circa hæc privilegia